Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 523
Quelle:
Copyright:

Fol. 107. praemissa *Sequentia* musicis accentibus instructa, quae incipit: *Fulgens preclara rutilans per orbem hodie dies in qua christi lucida narrantur ouanter prelia* &c. rursus Pictura linearis visitur Episcopi Regi libellum tradentis, quam excipit inscriptio litera quadra miniata: *Libellus De Virtutibus IIII. Prudentia, Fortitudine, Temperantia, Justicia. Qui Pretitulatur Formula Vite Honeste. Editus A Quodam Martino Episcopo Ad Mironem Regem. Martinus* hic Archiepiscopus *Braccarensis* est, *Miro Suevorum* in *Hisp.* rex, ut non semel jam *Vol.* I. maxime P. I. *col.* 584. dixi. Ad meliorem, quam hactenus habemus, Libelli editionem curandam Exemplum praesens praetereundum non foret, quamquam nec suis naevis careat.

In calce Codicis congesta sunt, quae adnumero: 1) Dodecastichon de Salute generis humani et Deo:

Flos campi patitur, leo uincit, adam renouatur.
Uulneribus quinis curantur uulnera mortis &c.

2) *Versus cuiusdam Sapientis de Euangelica Lectione.* Nempe *Lucae* C. 14. v. 16.

Quidam diues erat, ceu presens lectio narrat,
Hic fecit cenam magno molimine quondam &c.

Carmina 29. 3) Effata duo e *Vitis PP.* Abbatis *Moysis* et B. *Antonii.* 4) Precatio ad B. V. *Mariam.* 5) Tritum illud de *Hermaphrodito* Decastichon:

Dum mea me mater (genitrix) *grauida gestaret in aluo* &c.

Variant et quaedam alia minuta. 6) Dodecastichon de Apostolis:

Cesserat Antiochi Petro jus et graue remi.
Paulus acu gentes fidei conjunxerat omnes &c.

7) *Epitaphium:*

Dux gregis et portus, et flos feliciter ortus
Post incrementum fructus subit hoc monumentum.
Hoc transplantatus claustro flos prememoratus
Treuir erat natu, Sigebergensis monachatu.
Attulit huc secum uenerabile fratribus equum,
Doctrinam, mores, uirtutum quosque colores;

Quem,